



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

**Francisco <de Javier>**

**Romæ, 1667**

Epistola VII. Patribvς Collegii Goani. A Sancto Francisco in Sinas solvente  
obsignata relicta cum præcepto eam resignandi si Gasparum Barzæum  
mori, se procul agente, contingeret.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46129)

## EPISTOLA VII.

## PATRIBVS COLLEGII GOANI

*A Sancto Francisco in Sinas solvente obsignata  
relicta cum praecepto eam resignandi si Ga-  
sparem Barzaum mori, se procul  
agente, contingeret.*

**I**N Nomine Domini Nostri Iesv Christi.  
Reputans mecum brevitatem nostræ vi-  
tæ, ac mortis cunctis hominibus certissimæ  
incertissimam unicuique diem & horam;  
ac metuens ne quam in turbationem inci-  
dat hæc Domus, si eam necesse foret eli-  
gere sibi Rectorem in locum morte subtra-  
cti Magistri Gasparis, priusquam Pater No-  
ster Præpositus Generalis Rectorem huic  
Collegio præfecisset, existimavi mearum  
esse partium prævertere, quoad possum,  
ante meum in Sinas discessum, incommoda  
quæ ex tali inopinato casu nasci possent, con-  
stituendo jam nunc aliquid certi, & designan-  
do personam quæ interim dum à Româ à Præ-  
posito Societatis Generali constitutum aliud  
in notuerit, tum hujus Familiæ, tum cæterarum

M M

So-



Societatis Stationum à Promontorio Bonae Spei usque ad extremum Orientem, Providentiam gerat; cuique ut Superiori Nostri omnes Sacerdotes, Clerici aut Laici obedire in omnibus debeant. Si ergò Patri Magistro Gaspari humanitùs aliquid quale dixi, contingeret, Rector esto Dominus hujus Michaël de Morales. ac si eo tempore hinc absit, accersatur statim, ut huc se conferens regiminis possessionem adëat, & jam tunc incipiant Patres & Fratres universi tam Goæ degentes, quam alibi, ei obtemperare tanquam vero custorum & legitimo Rectori. Quoad autem ille venerit, præsit vice Rectoris Pater Paulus, qui Patri Michaëli de Morales statim atque huc advenerit, regimen resignet, & illi, sicut reliqui omnes Nostri, deinceps ipse quoque subjectus sit. Ac si vel antequam gubernationem capesseret, vel post eam initam, idem ille Michaël Morales morte subtraheretur, tunc Rector esto Magister Melchior Nunnezius, quem pari jure cunëtis Præpositum jam nunc constituo, & agnosci volo, si fortè Deo placeret Patrem Gasparem Barzæum & Michaëlem de Morales ad Paradisi gaudia ex hac vitâ



NOVARVM EPIST.Lib.6. 547

vitâ transferre, ante quàm Pater Noster  
 Præpositus Generalis Societatis IESV Re-  
 ctorem huic Collegio præfecisset. Hæc  
 porrò ita putavi decernenda, tum ut alijs  
 obviam eatur malis quæ inde oriri pronum  
 est, tum ut vitetur necessitas congregandi  
 unum in coetum Patres omnes qui per In-  
 dias varijs & valdè inter se distitis in locis  
 Evangelicæ Prædicationi vacant, quos ab  
 istis Stationibus, & Ministerijs quæ in ijs  
 exercent, non puto posse avocari sine gra-  
 vi Animarum quas curant incommodo, &  
 pari detrimento Divini obsequij. His de  
 causis in virtute Sanctæ Obedientiæ mando  
 & impero Patribus & Fratribus Societatis  
 IESV per Indias degentibus, ut exequan-  
 tur quod hac chartâ perscriptum est. ac  
 quoniam ita ex animi mei verâ sententiâ  
 post maturam deliberationem, ad Majorem  
 Gloriam & obsequium Dei Domini No-  
 stri, statuo & decerno, ut nemo qui hanc  
 chartam viderit dubitare de meâ voluntate  
 possit, ei subscripsi manu propriâ, hac die  
 VIII. Idus Aprilis AN. MDCLII.

*Franciscus.*

MM 2

EPI-